

inquit, illi impii veritatem detinent? numquid Deus ad quemquam illorum locutus est? numquid legem acceperunt, sicut Israelitæ per Mosem? Audi quomodo illis Deus manifestavit. Invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Interroga mundum, ornatum cœli, fulgorem, dispositionemque syderum, et vide si non sensu suo, tamquam tibi respondent: Deus nos fecit. Hæc, et Philosophi nobiles quæsierunt, et ex arte artificem cognoverunt.»

Item tractatu 106. in Joannem: «Hæc, inquit, est vis veræ divinitatis, ut creatura rationali, jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universonum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.»

Item lib. viii. de civit. Dei cap. 6. «Itaque, inquit, quod notum est Dei, ipse manifestavit eis, cum ab eis invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt intellecta conspecta sunt.» Ubi S. Augustinus multis aliis verbis docet, Philosophos ratiocinando, perque res creatas gradatim ascendendo paulatim ad unius Dei notitiam pervenisse.

Paulus Orosius lib. vi. cap. 1: «Philosophis, inquit, dum intento studio quærunt, scrutanturque omnia, unum Deum auctorem omnium repererunt. Unde etiam nunc Pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis, quam de ignorantia convincit, cum a nobis discutiuntur, non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari fatentur. Restat igitur de intelligentia veri Dei, per multas intelligendi suspiciones confusa dissensio. Quia de uno Deo omnium pene una opinio est. Hucusque humana scrutatio, etsi cum labore, deliberare potuit. At ubi ratiocinatio deficit, fides subvenit.»

Theodoretus sermon. 2. de curandis Græcorum affectionibus docet, Platonem cognovisse unum Deum ex tessera, quam Dionysio in epistola, ad eum scripta, dederat. Scripsit enim Plato epistolam fore seriam, si initio adscribatur, Deus; ludicram autem, si adscribatur, Dii. Hæc enim tessera satis aperte declarat apud Platonem, fabulosam fuisse multitudinem Deorum.

S. Gregorius lib. xxvii. Moralium cap. 2. «Omnia, inquit, homo eo ipso, quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere,

(1) Sap. XIII, 5.

eum, qui se condidit, Deum esse. Quem videlicet jam videre, est dominationem illius ratiocinando conspiciere. Cum vero dictum sit, omnes homines vident eum, recte subjungitur, unusquisque intuetur procul, procul quippe eum intueri est. Non jam illum per speciem cernere; sed adhuc ex sola operum suorum admiratione pensare.»

Denique venerabilis Beda lib. iii. in Job cap. 5. sic ait: «Per naturam bonum, notitia creatoris inest cordibus hominum.» Et infra: «Omnis homo hanc vim sapientiæ naturaliter accipit, ut Deum ignorare non possit, nisi aut contemnat, aut negligat.»

Probatur ultimo ratione. Nam si Deum esse unum, non posset cognosci sine gratia Dei speciali, id fieret, vel quia objectum sit supernaturale; vel quia actio intelligendi unitatem Dei sit valde difficilis, aut etiam impossibilis viribus solius naturæ: neutrum autem horum dici potest. Nam unitatem Dei esse objectum naturale, et nulla ad hoc opus esse revelatione, testatur Sapiens cap. xiii. cum ait: «A magnitudine speciei, et creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri (1). Testantur etiam demonstrationes plurimæ a naturalibus effectis ductæ, quibus Deum esse unum probant Joannes Damascenus lib. i. de fide cap. 5. Richardus de S. Victore lib. i. et ii. de Trinitate, et S. Thomas lib. i. contra gentes cap. 43. Quod autem demonstrari potest naturalibus rationibus, certe non est supernaturale, nec superat vim intelligentiæ naturalis. Ubi vero demonstratio adfertur, non est difficile assentiri, sed contra potius difficile, vel impossibile est non assentiri. Quare non requiritur auxilium speciale ad hunc actum producendum. Præsertim cum nec vehementia perturbationum, neque alia causa iudicium theoreticum impedire possit, licet impediant iudicium practicum, et actiones voluntatis.

CAPUT III.

Solvuntur objectiones.

Sed contra duo argumenta objici possunt. Primum est testimonium illud Evangelii: *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Item: *In mundo erat, et*

mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit (1). Joan. i. Alterum est ex Augustino lib. x. Confess. cap. 6. ubi dicit, cœlum et terram omnibus hominibus magna voce clamare, ipse fecit nos, et non ipsi nos; sed tamen surdis canere, nisi Deus altius miseretur. Ex his enim S. Joannis, et S. Augustini testimoniis colligitur, Deum quidem dedisse hominibus argumenta satis, magna quibus eum cognoscere possent, nisi essent cæci: sed tamen per peccatum primi parentis ita esse totum genus humanum excæcatum, ut jam Deum nemo cognoscere possit ex argumentis illis, nisi cui speciali gratia Deus illuminaverit mentem.

Sed facile erit argumentum utrumque refellere. Nam non esse omnino excæcatos homines per peccatum primi hominis, in iis etiam, quæ ad Dei notitiam pertinent; perspicuum est ex locis allegatis, Sap. xiii. et Roman. i. «Nam (ut ipsis verbis sancti Augustini utar, in expositione quarumdam propositionum epistolæ ad Romanos, in principio) quos arguit Salomon Sap. xiii. non cognoverunt per creaturam creatorem; quos autem arguit Apostolus, cognoverunt, sed gratias non egerunt.» Non autem arguentur, qui non cognoverunt, si cognoscere non potuissent: neque cæci sunt, qui aut cognoverunt, aut certe cognoscere potuerunt.

Illud vero: *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Et illud: *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit;* intelligenda videntur de Verbo, id est, de filio Dei, ac per hoc, de mysterio Trinitatis: quod fatemur non posse cognosci solo lumine rationis. Deinde, possent etiam ea verba hunc sensum habere, Lux divinæ sapientiæ lucet etiam in tenebris, cum appereat in iis rebus, quæ omni luce sapientiæ carent, id est, in animantibus rationis expertibus, in arboribus, in lapidibus, in rebus cæteris, quæ quod ratione careant, tenebræ dici possunt, et de iis recte scriptum esse intelligitur, et tenebræ eam non comprehenderunt.

Nec male, cum Chrysostomo, ac Theophylacto dici potest, illud, *et tenebræ eam non comprehenderunt,* idem esse, ac si dictum fuisset, et tenebræ ei non prævaluerunt. Lux enim illuminat tenebras, et tenebræ non obscurant lucem: hoc est, lux notitiæ Dei in hominibus quoque impiis, quavis tenebra-

(1) Joan. i, 5; ibid. i, 10.

rum multitudine, vel densitate non vincitur. Denique, cum sancto Augustino, sanctoque Cyrillo dici potest, tenebras esse homines ignorantes et peccatores, qui lucem istam non perceperunt, quam tamen si voluissent, percipere potuissent.

Illud autem S. Augustini ex lib. x. Confessionum, ad rem non facit. Non enim de cognitione, sed de amore loquitur eo loco S. Augustinus: «Domine, inquit, amo te, percussisti cor meum verbo tuo, et amavi te. Sed et cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Altius autem tu miseraberis, cujus misertus eris. Alioquin cœlum et terra surdis canunt laudes tuas.» Itaque sicut nos surdis canere dicimur, cum ii, quibus multis verbis aliquid suademus, nolunt illud facere, licet satis facile intelligant, quæ dicimus: sic etiam cœlum, terra, surdis canunt laudes Dei, cum homines ex operibus Dei conditorem quidem agnoscunt, red non sicut conditorem diligunt, venerantur et colunt.

CAPUT IV.

Requiri, et sufficere auxilium generale ad actiones naturales et civiles efficiendas.

Altera quæstio erat de actionibus naturalibus, sive politicis, aut mechanicis abstractendo a malitia, vel bonitate morali, an eæ possent a nobis fieri solis naturæ viribus. Duo siquidem de hac re contrarii errores aliquando extiterunt. Quidam enim docuerunt, posse homines, ut etiam res cæteras, opera sua efficere sine ullo Dei auxilio, sive generali, sive speciali. Ita videtur sensisse Origenes lib. iii. de principiis, ut annotavit S. Thomas lib. iii. contra Gentiles, cap. 89. ita etiam senserunt Pelagiani, teste S. Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem, et lib. i. adversus Pelagianos. Ita denique sensit ex Theologis scholasticis, Durandus in 2. sent. dist. 1. quæst. 5. et dist. 37. quæst. 1. qui docet, Deum omnia operare, quæ nos operamur, quia dedit, et conservat vim operatricem, quæ in nobis est, non quia nobiscum ad opus nostrum efficiendum sua actione concurrat.

Alii vero, fortasse ut ab hoc errore longissime recederent, contra senserunt, ita Deum immediate et proprie omnia operari, ut causæ secundæ nihil omnino efficiant, sed ad eorum præsentiam solus omnia faciat Deus. Refert hanc sententiam S. Thomas in quæst. 3. de potentia art. 7. eamque Mahometis sectatoribus tribuit. Cæterum uterque error Scripturis, Patrum testimoniis, et manifestæ rationi repugnat. Quod breviter ostendemus, quoniam copiosior disputatio ad philosophos proprie pertinet.

Igitur secundas causas, et præsertim homines aliquid vere, ac proprie operari, Scriptura passim docet. Nam Genes. 1. dicit, terram germinare, stellas lucere super terram, aves volare sub firmamento celi, homines dominari, ac præesse animantibus cæteris. Et alia id genus frequentissime in divinis litteris repetuntur.

Sancti quoque Patres id ipsum affirmant, ut Basilius oratione 5. de opere sex dierum. Ambrosius lib. III. Hexameron cap. 6. et 8. Joannes Chrysostomus homil. 5. in Genes. Augustinus lib. III. de Trinitate cap. 3. et 4. Joannes Damascenus lib. II. de fide cap. 10.

Denique rationes etiam in promptu sunt. Nam in primis, si neque ignis calefaceret, neque sol illuminaret, falleretur sensus circa proprium objectum, nullusque esse posset experimentis locus. Certe enim sensus ignem calidum, et solem lucidum esse judicat, quoniam ab illo per calefactionem, ab isto per illuminationem immutari se sensit. Deinde, quorsum Deus rebus naturalibus virtutes operatrices dedisset. Imo quorsum rerum naturas omnino esse voluisset, si omnia otiosa erant futura? Denique, unde monstra nascerentur, quæ dicuntur, et sunt peccata naturæ, si solus Deus omnia efficeret, cum in Deum error non cadat.

Jam vero humanam voluntatem, ut etiam res cæteras nihil omnino agere posse, nec se ulla ratione movere, nisi Deus cum illis simul operetur, nec sufficere essentiam, et virtutem operatricem ad operandum, si dedit auxilium conditoris. Probatum primum ex divinis litteris. Nam Actor. XVII. Apostolus ait: *In ipso vivimus, movemur, et sumus* (1). Quo locosi Deus solum donaret nobis naturam, et vires ad operandum, easque conservaret, non etiam simul operaretur nobiscum, satis fuis-

set dicere; in ipso vivimus et sumus: quorsum igitur additum est, *« movemur »*, nisi ut intelligamus, non posse nos moveri sine præsentia auxilio Dei, quemadmodum non possumus esse et vivere, nisi Deus vitam quam dedit, conservare voluerit.

Itaque in Deo sumus, quia ipse fecit nos, et non ipsi nos; in Deo vivimus, quia ipse nos portat verbo virtutis suæ; in Deo movemur, quia sine ipso nihil possumus facere. Siquidem illa præpositio *« in »*, idem valet hoc loco, quod (per) ut sensus sit, per ipsum vivimus, movemur, et sumus: quemadmodum in illis locis. *In Deo meo transgrediar murum. In Deo faciemus virtutem. Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejuniis. Omnia possum in eo, qui me confortat.* Idem Apostolus in epist. priore ad Corinth. cap. x. dicit, Deum operari omnia in omnibus. Quod multo antea scripserat Isaias cap. XXVI. cum ait: *Omnia opera nostra operatus es Domine.* Rursus de aliis rebus idem scriptura testatur, ut cum in Psalm. CXLVI. Et Job. x. *Pelle, et carnibus vestisti me.* Et Hierem. I. *Antequam te formarem in utero, novi te.* Et Dominus in Evangelio Matth. VI. *Quod si fœnum agri Deus sic vestit.* Et Joan. V. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (2).

Ad hæc, et similia respondebat Pelagius (teste Augustino in libro de gratia Christi cap. 4.) et post eum Durandus loco notato, dici Deum omnia operari, quia virtutes operatrices rebus attribuit. Sed refellit hanc responsionem S. Augustin. in epist. 146. eo argumento, quod Deus non solum dicatur omnia operatus, et omnia fecisse, sed in præsentia dicatur operari, cum legimus: *« Qui producit in montibus fœnum, et fœnum agri Deus sic vestit, et, Pater meus usque modo operatur. »*

Deinde, si propterea Deus diceretur operari omnia, quia dedit omnibus rebus operatrices virtutes, sequeretur, Deum operari omnia peccata, quia dedit homini, et Angelo liberum arbitrium, quo peccata omnia fiunt. Et apud Durandum id maxime locum haberet, cum ipse contendat in secundo sententiarum distinct. 44. potentiam peccandi formaliter esse a Deo.

Adde quod Scripturas intelligere debemus non pro arbitrato nostro, sed juxta commu-

(1) Act. XVII, 28. — (2) Isai. XXVI, 12; Psal. CXLVI; Job. X, 11; Hier. I, 5; Matth. VI, 30; Joan. V, 17.

nem sanctorum Patrum explicationem; sancti autem Patres ex allegatis Scripturis errorem istum communi consensu refellunt.

Eusebius lib. VI. de præparatione evangelica cap. 5. *« Causa, inquit, omnium, et quæ libertatis nostræ sunt, et quæ natura fiunt, Deus est. »*

S. Hieronymus in lib. I. adversus Pelagianos, refellit Pelagianos, quod dicerent, posse se absque Dei auxilio scribere, sedere, flere, curvare digitum, aptare calamum etc. Neque responderi potest loqui S. Hieronymum de auxilio Dei mediato, ut vult Durandus. Nam ut duximus ex Augustino, et patet etiam ex Hieronymo ibidem, fatebantur Pelagiani, liberum arbitrium esse donum Dei, et illo mediante posse nostras actiones Deo tribui, et tamen Hieronymus Pelagianos impios, et sacrilegos nominat: *« Audite, inquit in epistola ad Ctesiphontem, sacrilegum, si voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi, ingratus, immo sacrilege, Apostolum prædicantem: Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in nomine Domini facite. »*

S. Joannes Chrysostomus hom. 5. in Genesim: *« Quocirca, inquit, divinæ Scripturæ vestigiasequamus, neque feramus eos, qui adversa temere blaterant. Etiam si homines terram operentur, et jumentorum auxilio fruuntur, et magna sit cœli temperies, et omnia alia concurrant, nisi nutus Domini accedat, omnia alia frustra, et in vanum fiarent, et nihil proficeret omnis labor, et desudatio, nisi manus Domini superne adjuvaret, et perfectionem his, quæ fiunt, tribueret. »*
S. Augustinus in epist. 146. quæst. 2. *« Quomodo, inquit, negare poterimus, Deum etiam nunc operari cuncta quæ fiunt, cum Dominus dicat, Pater meus usque modo operatur. »* Vide etiam lib. VIII. de Gen. cap. 20. et sequent.

S. Anselmus lib. de concordia præscientiæ, prædestinationis, gratiæ et liberi arbitrii cap. 1. *« Facit, inquit, Deus omnia, quæ justa, vel injusta voluntate fiunt, id est, opera bona et mala. In bonis quidem facit quod sunt, et quod bona sunt: in malis facit quod sunt, sed non quod mala sunt. »*

Accedat postremo etiam ratio, nam omnes res creatæ in pendent a divina conservatione, ut ne ad momentum quidem per se, ac sine

Deo esse possint. At si aliquid fieret sine Dei auxilio, saltem in primo illo instanti, quo fieret, per se, ac sine Deo esset. Quemadmodum igitur lumen solis in aere in primo instanti fit a sole, et toto reliquo tempore ab eodem conservatur, nec ullo modo esse potest sine præsentia solis continuantis esse, quod initio illi dedit: sic etiam omnis effectus cujuscumque causæ secundæ, initio fit a Deo, et ab eodem conservatur, nec potest ulla ratione incipere, vel durare sine actione Dei dantis, vel continuantis esse. Porro res omnes creatas perpetuo a divina conservatione pendere, nemo est qui neget, cum Apostolus dicat Heb. I. *Portans omnia verbo virtutis suæ* (1). Et fuse doceatur a S. Augustino lib. IV. de Gen. cap. XII. et lib. VIII. cap. XII. a S. Joanne Chrysost. hom. 10. in Gen. a S. Gregorio lib. XVI. Moral. cap. 18. et a S. Thoma. I. par. quæst. 104. art. 1.

His igitur extremis refutatis erroribus, maneat sententia illa media et communis in scholis Theologorum, posse ab homine fieri multa opera sine auxilio Dei speciali, ut arare, serere, putare vites, plantare arbores, ambulare, sedere, loqui, et alia id genus, nihil tamen fieri posse sine auxilio Dei generali. Ita enim docet, et probat egregiis rationibus S. Thomas in lib. III. contra Gentiles cap. 89. Item S. Bonaventura et cæteri Theologi (Durando excepto) in 2. sent. distinct. 37.

CAPUT V.

Proponitur quæstio principalis, An homo liberum arbitrium habeat in operibus naturalibus et civilibus; et notantur Lutheri et Melancthonis contradictiones.

Sequitur tertia quæstio, quæ una est ex principalibus, et gravissimis totius hujus materiæ quæstionibus; utrum videlicet homo liberum arbitrium habeat in actionibus illis naturalibus, sive civilibus, quas diximus fieri posse cum solo generali auxilio Dei.

Sunt autem tres de hac quæstione sententiæ. Prima est Catholicorum fere omnium, non solum esse hominem liberi arbitrii in actionibus supra explicatis, sed etiam id esse evidens, tum in lumine naturæ, tum in doctrina fidei. Vide præter alios, qui hoc docent,

(1) Heb. I, 3.

S. Thomam in quæst. 6. de malo, quæ est de electione, et quæst. 24. de veritate (quæ est de libero arbitrio art. 4.) Item Gregorium, Gabrielem, et alios in 2. sententiar. distinct. 25.

Altera sententia est quorundam Catholicorum, qui affirmant certum esse ex doctrina fidei, hominem esse liberi arbitrii, tamen id non posse naturali ratione convinci. Ita docuit Joannes Buridanus in tertio libro Ethicorum, quæst. 1. et Andreas de Castro in primo sententiarum, distinct. 45. quem citat Ruardus Tapperus in explicatione articuli 7. Lovaniensium.

Tertia sententia, sive potius hæresis, manifesta est Laurentii Vallæ in lib. de libero arbitrio, Martini Bucerii in lib. de Concordia, articulo de libero arbitrio, et Joannis Calvini lib. 1. Institutionum cap. 16. § 8. et lib. II. cap. 4. §. 6. qui docent, non habere hominem, in statu naturæ corruptæ, liberum arbitrium ulla in re, ac ne in indifferentibus quidem et civilibus. Quocirca idem Calvinus in lib. II. Institutionem cap. 2. §. 4. dicit, optare se, ut tollatur omnino de medio nomen ipsum liberi arbitrii. Eadem fuit sententia multorum veterum hæreticorum, quos cap. 7. opportuniore loco nominabimus. Eadem etiam sententia fuerat initio Lutheranismi, ipsius Martini Lutheri, et ejus Achatii Philippi Melancthonis, sed uterque aperissime retractavit. Quos si Bucerus et Calvinus imitari voluissent, nulla cum hæreticis hujus temporis de libero arbitrio in actionibus civilibus controversia remaneret.

Utile autem erit annotare hanc retractationem, et contradictionem Lutheri et Melancthonis, ut appareat eorum inconstantia in re omnium maxima. Nam Lutherus in assertionem articuli 36. summam rerum suarum in doctrina de arbitrii servitute constituit. Sic enim ait: « In cæteris articulis de Papatu, de Conciliis, de Indulgentiis, aliisque non necessariis nugis, ferenda est levitas et stultitia Papæ et suorum, sed in hoc articulo, de servitute arbitrii, qui omnium optimus, et rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est, miseros sic insanire. » Et in libro adversus Regem Anglorum scripsit, adeo se certum esse de sua doctrina, ut si quis aliter doceret, aut damnaret, quæ ipse scripsit de fide, de operibus, de libero arbitrio, et similibus; is damnaret Deum, et oporteret eum manere filium gehennæ.

Videamus igitur constantiam ejus, in sum-

ma doctrinæ, de qua certissimum se esse jactabat. In assert. articuli 36. ita loquitur: « Liberum arbitrium est figmentum in rebus, et titulus sine re, quia nulli est in manu quippiam cogitare boni vel mali, sed omnia (ut Wiclefi articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absoluta eveniunt. Quod et Poeta voluit, quando dixit, cæta stant omnia lege. Et Christus Matthæi VI: Foliolum arboris non cadet in terram sine patre vestro. Et infra: Non est dubium Satana magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum arbitrium. » Hic aperte Lutherus simpliciter tollit liberum arbitrium omnibus in rebus, juxta hæresim Wiclefi, et ideo ipsum etiam nomen liberi arbitrii damnat. Ex quo factum est, ut liberum adversus Erasmum inscripserit de servo arbitrio.

Sed audi nunc retractationem, quæ extat in libro ejus de Visitatione Saxonica, quem postea scripsit, sic enim loquitur in articulo de libero arbitrio: « Multi de libero arbitrio indiscrete loquuntur. Ideo hanc brevem informationem adscripsimus. Homo habet ex propria virtute liberum arbitrium ad faciendum vel omittendum opera externa per legem, et pœnas adactus. Quapropter potest et sæcularem probitatem, et bona opera facere, ex propria virtute, a Deo ad hæc data et obtentia. Paulus enim vocat eam justitiam carnis, hoc est, quam caro aut homo ex propria virtute facit. Si ergo operatur homo ex propria virtute ullam justitiam, utique habet electionem et libertatem, et fugiendi malum, et faciendi bonum. »

Item ibidem: « Voluntas humana est vis libera, ut facere possit justitiam carnis, seu justitiam civilem, ubi lege et vi agitur, ut non furari, non occidere; non mœchari etc. » Hæc ille, ubi per justitiam carnis intelligit opera bona externa, non tamen bona simpliciter. Ac per hoc docet, posse hominem per liberum arbitrium facere et non facere quæ lex jubet, non tamen peccare, aut non peccare. Itaque admittit arbitrii libertatem in actionibus civilibus et externis, quam negaverat in assert. art. 36. et nomen liberi arbitrii recipit, quod a Satana magistro in Ecclesiam venisse antea dixerat. Ita damnat ipse articulum suum optimum, et summam rerum suarum, et, si verum sit quod scripsit in libro adversus Regem Anglorum, Deum damnavit, et oportet eum manere filium gehennæ.

Veniamus ad Philippum. Is in locis com-

munibus, quos edidit anno 1521. Primo, detestatur nomen liberi arbitrii: « Usurpata est, inquit, vox liberi arbitrii a divinis litteris, a sensu et judicio spiritus alienissima. Ad ditum est e Platonis philosophia vocabulum rationis æque perniciosum. »

Secundo, defendit Vallam contra Eckium his verbis: « Vallam, ait Eckius, quod Scholarum sententiam de libero arbitrio confutavit, plura voluisse scire, quam didicisset, scilicet egregie festinus nugator. »

Tertio, reprehendit philosophiam naturalem et rationem. « Hoc loco, inquit, prorsus Christiana doctrina a philosophia, et humana ratione dissentit. »

Quarto, tollit omnem libertatem, et contingentiam: « Est, inquit, libertas posse agere, aut non agere, posse sic, aut aliter agere. Itaque in quæstionem vocatur, sitne libera voluntas, et quatenus libera sit. Responsio, quandoquidem omnia quæ eveniunt, necessario juxta divinam prædestinationem eveniunt, nulla est arbitrii libertas. Quid igitur inquit, nulla ne est in rebus contingentia? nihil casus? nihil fortuna? Omnia necessario evenire Scripturæ docent. Et si videatur tibi in rebus humanis esse contingentia, judicio rationis hic imperandum est. »

Quinto, his addit in comment. ad cap. 8. epist. ad Romanos. Non solum opera indifferentia, sed etiam peccata in nobis a Deo fieri. « Sicut, inquit, fatemur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria esse, sive quæ media vocantur, ut comedere, libere; sive quæ mala sunt, ut Davidis adulterium, Manlii severitatem. Constat enim ex cap. I. ad Romanos, Deum omnia facere non permissive, sed potenter (ut Augustini verbo utamur (id est, ut sit ejus propria Judæ proditione, sicut Pauli vocatio. » Et infra: « Ergo non est cur frigidum glossema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere. » Hæc ille.

Contradicentia his omnibus habentur in iisdem locis communibus posteriori tempore editis, tum in loco de causa peccati, tum in loco de libero arbitrio. Primo siquidem, recipit nomen liberi arbitrii et rationis, quod ante detestabatur. « Monendi sunt, inquit, rudiores, ut a physicis sumant distinctiones et appellationes partium hominis. In homine est pars cognoscens et judicans, quæ vocatur mens, vel intellectus, vel ratio. Altera pars appetens vocatur voluntas; vocatur autem

liberum arbitrium mens et voluntas conjuncta. »

Secundo, reprehendit Vallam, quem ante defenderat: « Valla, inquit, et plerique alii, non recte detrahunt voluntati hominis libertatem, quia fiant omnia decernente Deo. » Item in epitome moralis Philosophiæ: « Stoicas, inquit, illas de fato, seu Vallæ absurdas imaginationes, quæ propter divinam gubernationem adimunt libertatem voluntati, fugiamus. »

Tertio, amplectitur philosophorum sententias, quas antea Scripturis contrarias esse dicebat: « Hæc, inquit, est libertas voluntatis, quam philosophi recte tribuunt homini. » Item: « Honestius », inquit, « Plato docuit. » Et in Epitome moralis philosophiæ, « Est, inquit, prudentissime ab Aristotele addita rationis descriptio. »

Quarto, admittit, esse in rebus contingentiam et libertatem, quam simpliciter ante negaverat: « Concedendum est, inquit, quod Scriptura Apostolica tribuat homini, etiam nunc post lapsum, libertatem aliquam diligendi ea, quæ sunt subjecta rationi. Et infra: Hæc Manichæa imaginatio horribile mendacium est, et ab hoc errore mentes abducendæ sunt et docendæ, agere aliquid liberum arbitrium. »

Quinto negat, Deum esse causam peccati quod tam impudenter antea assererat: « Est, inquit, hæc et pia sententia, utraque manu, et verius toto pectore tenenda, Deum non esse causam peccati, nec velle peccatum. Et infra: Nec figuræ illæ verborum in sermone hebraico pugnant cum hac sententia, Indurabo cor Pharaonis, et similes. Certum est enim hebraica phrasi significare permissionem, non efficacem voluntatem. » Ex his enim facile potest intelligi quam sint adversarii inconstantes in rebus etiam gravissimis. Sed his omissis ad confirmandam veritatem accedamus.

CAPUT VI.

Non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi adversariorum, qui nomen liberi arbitrii, in nomen servi arbitrii mutaverunt.

Ut igitur vera et Catholica sententia confirmetur, tria sunt ordine probanda. Primo, non posse adversarios ullo colore defendi ab